



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



74. c. 13







L A V D A T I O
CAROLI ANDREAE
DUKERI,

IN

SOLENNI HOMINUM ERUDITORUM
PANEGYRI,

Die III^{to} mensis Aprilis

ANNO CIDI~~CC~~LXXXVIII.

PERACTO

INTERPRETE

CHRISTOPHORO SAXIO,

CUM

Academiae Rheno-Traiectinae Magistratu se
tertium abdicaret.

ONOMASTICI LITERARII PARTIS SEXTAE

Corollarium esto.

TRAIECTI AD RHENUM,

Apud BARTH. WILD ET J. ALTHEER,

MDCCLXXXVIII.

CONFIDENTIAL
UNCLASSIFIED
DATE 11/11/01

CONFIDENTIAL ON PROTECTIVE
ORDER



CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

LECTORI

Bonarum artium gnaro.

S.

Lubenter hoc quicquid est Orationis nomen *Memoriae*, vel *Elogii* praeferre iussissem, si vtrumque vel huic negotio aptum, vel hac sententia latinum esse vocabulum iudicasssem. Etenim *Memo-ria* pariter atque *Elogium* simile est *Lau-di*, quae vt plurimum scripto duntaxat fieri solet; nemo saltem dicit *Laudem funebrem*. *Laudationis* contra officium oratione constat, vt recte docuit *Seneca Epist.* 102. hinc *Elogii* quoque titulum, tametsi oris Francici aemulum, hodierno-que scribentium vsu admodum tritum, hic abesse volui. Enimvero, vti sermo Francicus, etsi sua natura cultissimus, tamen non sua, sed abutentium, culpa, haud mediocrem verborum & locutio-
num,

num, tamquam: *crimini, laesae maiesta-*
tis, Superioritatis territorialis, Compilato-
ris & compilandi, frequentandi, incertitu-
dinis, solidae eruditionis, examinis, pro-
motionis, & Promotoris, Praecedentiae,
Discursus, Sermonis pro oratione, Tra-
ctatus, Scientiarum, pluriumque simi-
 lium copiam in vulgaria Saeculi latinita-
 tis viridaria immisit, quam multi aut no-
 lunt aut non possunt sentire, a perveteri
 bene loquentium scribentiumque consue-
 tudine, tamquam vera & unica latinitatis
 domina, abhorrere: ita *Elogii Epigraphe,*
 fortassis, quod vulgo sonantior videri pos-
 sit, nihil frequentius, a qua tamen in
 eiusmodi, qualis hoc loco est, causa ab-
 stinere mihi licuerit, quoniam mox car-
 men incisum sepulcro, mox vituperatio-
 nem quoque & censoriam subscriptio-
 nem olim denotavit.

Corrige p. 18. lln. 9. Gnathonum p. 44. lln. 1. ubi ubi p. 46.
 lin. 15. iussistis.

IL-



ILLUSTRES AC PRAEPOTENTES REI PUBLICAE TRAIECTINAE PROCERES, ELECTI, NOBILES EQUESTRIS ORDINIS, MAGISTRATUS,

AMPLISSIMI, NOBILISSIMIQUE METROPOLIS HUIUS RHENO - TRAIECTINAE CONSULES, ET SENATORES, ACADEMIAE CONSTITUENDAE ET ORNANDAE XLVIRI BENIVOLENTISSIMI,

SUPREMI TRIBUNALIS SENATORES GRAVISSIMI, IURIS IUSTITIAEQUE SACERDOTES INTEGERRIMI,

QUI TRIPLICI HUIC COLLEGIO A SCRINIORUM CUSTODIA, ET LITERARUM SCIENTIA PRAESTO ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI,

DIVINAE, HUMANAQUE SAPIENTIAE ANTISTITES CLARISSIMI, COLLEGAE ADMODUM OPTABILES,


CONSILIORUM DIVINORUM INTERPRE-
TES, ET PRAECONES PLURIMUM RE-
VERENDI,

CUIUSCUNQUE DOCTRINARUM FORMU-
LAE CONSULTISSIMI DOCTORES,

QUOTQUOT PRAETEREA IN HUNC LO-
CUM AUSCULTANDI GRATIA CONVE-
NISTIS, CIVES, HOSPITESVE, NATA-
LIUM FORTUNA, MUNERUMQUE PA-
RITER ATQUE LOCI DIGNITATE CON-
SPICUI,

TU DENIQUE IN PATRIAE ET PAREN-
TUM SPEM FELICITER SUCCRESCENS
JUVENTUTIS ACADEMICAЕ FLOREN-
TISSIMA CONCIO, MEA CURA, AT-
QUE VNICA VOLUPTAS.

Qui



Qui superiori annorum curriculo paribus, vel similibus in rerum & temporum adiunctis mox defendendo, accusandove, mox suadendo, dissuadendoque, prout concionis natura, & artis Rhetoricae conformatio iusserat, iudicii & deliberationis locos persecutus eram, certe persequi volebam, idem ego nunc ex eodem suggestu quintum hodie ad Vos verba facturus, quod superest, tertium causarum, a communi quaestione seiunctarum, nominatim exornationis genus, in egregii hominis laudationem conferre periclitabor. In hanc quippe semper rationem sententiamque sum ingressus, ut crederem, longe certiores potentioresque ad sapientiae & virtutis imitationem in exemplorum prolatione stimulos inesse, quam in morum praeceptis univ ersa ratione conclusis. Ut enim Vitae Philosophia virtutis contineat & officii, & bene vivendi disciplinam, tamen quoniam paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto fugit, sententiisque & verbis subtilioribus, quam vulgares hominum sensus mentesque patiuntur, suas praeceptionum leges nobis imperat, lentius sane tardiorique via in animos

4 C. SAXI LAVDATIO C. A. DVKEIR.

influit, quam Historia, quae ipsa quoque hanc ob causam iam olim *Thucydidi* (a) aptissime *Philosophia*, sed per exempla, & *Ciceroni*, *magistra vitae* dicebatur.. Haec saltem, quid fieri oporteat, deceatve, non tam recondita argumentorum vi persuadet, quam simulacris ab animali exemplo ductis, prompta & parata sensuum impulsione amorem veri, recti, & boni, falsi e diverso, corrupti, pravi, turpitudinisve odium suscitatur. Ex me vero tacite percontantibus forsitan *Vobis*, *Auditores*, ecquod, & ex quo rerum humanarum, civilium, an literarum fundo, exemplum ad hanc diei solennitatem aptum selegerim, repetierimque, haec ipsa, in qua versamur, disserendi palaestra, si loqui possit, responsum dederit. Enimvero si in Prytaneo coram solis Magistratibus habenda mihi esset concio, excellentis alicuius civitatum Praetoris, Rectorisve, tanquam speculum, in quod inspiceremus, proponerem: aut si coram militaribus hominibus, vel in Ceramici extra Athenas simili loco dicere iuberer, magni alicuius Imperatoris, ducis, heroisve, pro patria fortiter occumbentis, rerumque excelsarum cum animi quadam splendida propositione agitationem, formamque depingerem. Sed alia nobis longeque mitior

(a) apud *Dianysum Halicarnasenseum*, in Τεχνη, p. 65. med. Oper. *Rhetor. isōgia philosophia isōia ta paragaitymōtōn.*

tior est Apollinis, & Musarum militia, cuius omnis actio non armorum, & tormentorum strepitu, sed tranquilla veri indagazione, lectionis assiduitate, & ingenii, orationisque expolitione consumitur. Proinde meae, quam adhuc sustineo, muneris personae, civium Academicorum, locique huius memor, si ex nostro quondam doctorum ordine, nostraque civitatis literariae memoria vnum hodie pereximii Philologi & Critici exemplum ad aemulationis invitamenta protulero, ecquid erit pretii? Id vero vndenam libentius sumam, quam a CAROLO ANDREA DVKERO, singulari olim Academiae nostrae ornamento, aut in quo istud maiori voluptate spectari posse sperem, quam in hoc ipso viro, literarum omnis generis scientia, ingenii sagacitate, humanitatisque integritate cum paucis comparando? Nolim vero quis Vestrum, *Auditores*, mihi sic occurrat: Opportunumne tibi videri possit, eius a te nunc memoriam recoli, cuius oblivionem annorum, qui ab eius morte effluerunt, diuturnitas iam paene induxit? Si qua illius laudatione opus futurum fuisset, quid erat, quare eius generis officium non statim ab eius vitae exitu, secundum consuetudinis legem, apud nos solemnem, (b) ipsi praestaretur. Fateor,

tam-

(b) Id enim significarunt XLviri Academiae curandae, A. MDCCCXXXII. placere sibi, ut in posterum vnusquisque *Professor*,

6 C. SAXI LAUDATIO C. A. DVKERI.

tamdiu iam ipsum vivere desisse, quamdiu docendi in hac Academia facultatem, eiusdemque quomodocunque successionem divina mihi providentia clementer indulgit: attamen cur illo tempore iusta ipsi non perfolverentur, ratio mihi hæc subfuisse videtur, cum, quod vivus adhuc & superstes eiusmodi pietatis legibus Collegas suos solverat, (c) tum quod testamentariae velut eius voluntati, sine libra & tabulis editæ, religiosius forsitan obsequeremur, quam meritorum eius amplitudo, vtilitatisque publicæ vis & ratio postulare videbatur. Equidem nostram Senaculi diætam nullo paene me intrare memini tempore, quo imaginem *Dukerianam* conspicatus, non sic tacite mecum cogitare coepi: Tune vero, carissima literis anima, Tune, inquam, paene solus a nobis tam inhonoratus, & inglorius abiisti, vt post fatum tuum nemo de te propemodum hodie, nisi obiter, nisi ieiune, nisi aliud agendo loqueretur? Adeone Tu tacito funere efferri debueras, vt in nullis, quantum sciam, neque diurnis, neque mensuris Actorum commentariis, vnde maxima pars hominum hodie sapit, præter solas *Teutoburgensium*

Ephe-

fato functus, ab aliquo sui ordinis collega *Oratione funebri* laudaretur.

(c) Cum enim *Vianæ* ageret *Dukerus*, A. MDCCLII. ab vno tum Collegarum petiit, referret ad Senatum nostrum, *nolle se, vt sibi de functo parentatio haberetur.*

C. SAXI LAVDATIO C. A. DVKERI. 7

Ephemerides, (d) aut vita tua enarraretur, aut virtutes tuae literis proderentur, aut saltem locus & tempus dissolutionis tuae nunciaretur? Non committam ego certe, simul atque potero, mea reticentia, silentioque, ut nuda duntaxat & muta apud nos vultus tui pictura superfit. Quod nomen, mihi met ipsi aliquoties tacite factum, quin expungi nunc a me velitis, *Auditores*, neuiquam dubito, speroque id mihi Vos daturus esse, ut primum *quis* fuerit DVKERVS noster, doceam, tum, *qualis* & *quantus* idem fuerit, ostendam, ideoque proposita primum per tempora consuetudinis atque vitae summa, deinde sigillatim expressam ingenii formam, animique eius habitum & facultatem, bona Vestra cum venia demonstrarem.

Hic tanti vir exempli natales suos debuit *Germaniae*, tot hominum excellentium, & in *Bataviam* subinde, velut in coloniam, sensim paulatimque exeuntium genitrici, ut vtra tellus ab alterutra plus beneficii vel acceperit, vel alteri tribuerit, ad iudicandum difficile sit. Quare, si non ut mater & filia, attamen ut cognatae gentes, amabili societatis vin-

(d) ut indicio primum Clar. I. C. *Leidenfrostii* in *Oratione Funebris Jo. Hildebr. Witbosii*, p. 44: (l.) dein ex ipsis *Novorum Rhenodunensium* tabulis, a Cl. Jo. *Phil. Laur. Witbosio* humaniter mihi commodatis, cognovi.

8 C. SAXI LAVDATIO C. A. DVKERI.

vinctulo coniugentur, nec per vanam nonnullorum gloriationem, obtrectationisque studium alterutrius bonâ attenuari & imminui velim. In tam late vero patentibus Germaniæ finibus nihilo fieremus certiores, quam dudum, quæ propriæ ipsi patria obtigerit, ni, quod regionis solum gremio eum velut suo ediderit, sigillatim indicetur. Ipse in imaginis titulo se inscribi voluit *Marcanum*. neque id mehercle iniuria. Anno enim Saeculi superioris septuagesimo lucem primum aspexit *Vnnæ* in oppido, mercaturae faciendae olim haud ignobili comitatus *Marchiae*, qui, circa *Ruram*, & *Lupiam* amnes dilatatus, auspiorum nunc iuri *Borussico* subest, agrorumque *Westphaliae* circuitu & amplitudine continetur. Proinde natione quidem & forma *Marcanum*, gente tamen & genere *Westphalum* dixeris. Neque huius eum pariter originis, atque illius nominis pudere oportuit, tametsi, quod serio mirandum, a *Iusto* olim *Lipso* inurbane reprehensam, frigidisque etiamnunc plebeculae fermunculis exagitatam noverimus *Westphaliam*. Enimvero semper habita est cultissimorum eruditione hominum foecunda mater. Locupletes certe & classicos antestari possem auctores, quibus maledicti invidia haud dubie fenescat, ni ea res longius me ab incoepto traheret. Immo lubens e diverticulo in orbitam

bitam, & ad DVKERVM meum redeo. Patrem vero is habuit *Johannem Dükerum*, doctrinae formula ICTum, munere Decurionem, & Consulem illius Municipii *Vnnensis*, qui ducta in matrimonium *Catharina Elisabetha Roëllia*, sorore clarissimi quondam Theologi nostri, *Hermanni Alexandri Roëllii*, quadruplicem ex hoc connubio tulit sobolem, vnicam, quantum sciam, filiam, & tres filios. Horum maximus natus fuit *Gisbertus Wesselus*, procedente tempore Philosophus, & Philologus Gymnasii *Zwollani*, nulla quidem libri alicuius editi opera, praeterquam disputationis cuiusdam, honorum, ut mos est, philosophicorum causa, *de recta Ratiocinatione, Franequerae* scriptae, adversus *Vlrici Huberi*, & aliorum censuras Vindiciis, (e) tum versiculis quibusdam *Martinianis*, die festo *D. Martini* a *Zwollanis* scholarum rectoribus recitari consuetis, notus, sed homo tamen ad iocandum aptissimus extitit, cuius sales & lepores a senio confectis passim civibus *Zwollanis*, eius quondam discipulis, multos adhuc memoria teneri, & narrari, singularis mihi nuper amicus persuasit. Quamdiu vitam produxerit, nusquam adnotatum reperi, neque id scire quicquam, nisi minuta confectantium, interest. Superstitem tamen fuisse anno

hu-

(e) vid. omnino *Emon. Lucii Vriemoet Athenae Frisiacae*, p. 454, 569. inprimis p. 661.

huius saeculi sexto & decimo, cum *Carolus Andreas* noster publici in hac Academia doctoris munus auspicaretur, Elegi eius, in honorem fratris scripti, declarant. Huic nascendi serie proximus fuisse videtur *Alexander Dukerus*, ICTus, facta itidem ad Batavos commigratione, sive in nostra *veteris Traiectus* vrbe, ni fallor, commoratus est, sive quod verius putem, *Leidae* vixit, Academicosque ibi iuvenes literarum scientia privatim erudit, cuius etiam industriae varios Italorum libros latine reditos, alioque a me loco commemorandos, (f) debuit *Thesauri Italiae* redemptor vel editor. Tandem minimus quidem, vt reor, natu, sed duobus fratribus, scriptorum & nominis fama, longe maior, illustriorque fuit *Carolus Andreas* noster, de cuius figillatim vita privata, publicave, mox de ingenii animique cultu & virtutibus dicere, voluptati mihi duco.

Quoad pueritiae eius vltimam recordari possum memoriam, vix literarum initia domi didicerat, cum *Hammonam*, quae regionis illius *Marcanae* vrbs princeps est, mitteretur, vbi eius scholae magistris & ad suscipiendam, & ad ingrediendam bonarum artium studii rationem vteretur, quorum etiam praeceptis institutisque conformatus circa annum Saeculi

(f) *Onomastici* Part. VI. p. 36. 37.

culi elapsi, ut suspicor, nonagesimum ad *Franequeranae* Academiae stadium, in quo laudabiliter decurreret, properavit. Eam sapientiae divinae humanaeque officinam egregii tum nobilitarunt Duumviri, laudatus modo ante *Hermannus Alexander Roëllius*, & *Jacobus Perizonius*, ille Theologiae seu naturalis, seu patefactae, hic literarum omnis generis studiosos tanta sui admiratione implens, ut vtriusque scholae lectissimo audientium flore abundarent. Illum vero observare, diligere, consiliisque ipsius plusquam paternis obsequi cognationis pietas iubebat: vnde ipse quoque auctoritate, exemplo, doctrinarumque scientia multum se beneficii, utilitatis, & ornamenti adeptum esse gratus profitebatur, cum ex hac ipsa cathedra, ut sunt mirabiles interdum rerum vices, & conversiones, avunculum suum *Roëllium*, duodecim iam circiter annos in hac Academia pari celebritate, uti *Franequerae*, docentem, ut futurum Collegam, affaretur, & salutaret (g): quamquam hac necessitudinis Collegii voluptate non diu noster fruebatur. Biennio enim post *Roëllius* naturae debitum persolvens, magnum sui desiderium reliquerat. Ad huius vero alterius tum illustris in Academia *Franequeranae* doctoris *Jacobi Perizonii* disciplinam consuetudinemque sic animum

ap-

(g) vid. C. A. Dukeri Oratio. p. 44. C.

appulit, vt quicquid postea in literis graecis latinis-
 ve posset, multum autem excellenter poterat, eius
 omnem quasi coloris sanitatem & succum ex magni
 illius Polyhistoris accurata institutione, iudicioque
 traxisse videretur. Alio quoque, nisi hoc circiter
Franequerae commorationis tempore, Virum sum-
 mum *Antonium Schultingium*, verissimum Bataviae
 nostrae *Cuiactum*, ius interpretantem, audire non
 potuit. Alioquin comminisci non licet, quomodo,
 quoque iure virum illum, *non minus literarum,*
quam iuris civilis peritia insignem, DOCTOREM
 suum *sibi multis nominibus colendum*, certo quodam
 loco (b) appellare potuerit. Neque est, cur dubi-
 tem, acerrimo eum laudandarum artium & virtutis
 studio suo talem idoneorum iudicum gratiam & suf-
 fragationem meruisse, vt tirocinio *Franequerae* vix
 posito *Herbornam Nassaviorum* ad eloquentiae &
 historiae cathedram publice ornandam circa superio-
 ris Saeculi annum ipsum saecularem evocaretur.
 Non iniucundum saltem erit, haec de se alicu-
 bi (i) loquentem audire, *liberalium*, quippe ait, *ar-*
tium doctoris partes iam olim se adolescentem Her-
bornae in Nassoviis non sine aliquo fructu studiosae
literarum iuventutis egisse. Suas vero ingenii ani-
 mi-

(b) ad *Florii* III. XV. 4.(i) v. *Oratio* eius, p. 9.

mique dotes sic omnibus istis patribus & civibus probaverat, ut optime sibi, suisque rebus consultum iri sperassent *Herbornenses*, si perpetuam ibi sedem suam, domiciliumque collocasset. Verum longe aliter res cecidit. Coeli, soli, civitatisque Batavorum faulrix, literarumque alrix natura ipsi magis placebat. Quare eius operam probabiliter expetentibus Magistratibus *Haganis*, ut simul cum *Pancratio Masvicio*, notissimo illo *Virgilii* non tam interprete, quam editore, tamquam rector vicarius, vel Hypodidascalus, Prorectorem, vel Conrectorem, vel Subrectorem vulgus nominat, Scholae suae praeesset, non modo non repugnavit, sed circa huius, quod vivimus, Saeculi initia (k) subfellium scholasticum, quod erat plane novum & inusitatum, suggesto Academico haud aegre antetulit. Ut vero quocumque advenerat DVKERVS, eius adventus voluptati erat, sic etiam *Hagam* delatus, eo in loco, ubi ex omni non modo *Batavia*, sed exteris quoque regionibus, quicquid est dignitate praestantium, elegantiumque hominum confluere solet, antiquam suam

(k) Fortassis A. 1704. vel 1705. Si enim retro numeres *sex septemue* annos, quos effluxisse ait *Dukerus*, cum A. 1711. Dedicacionem & Praefationem ad *Opuscula de Latinitate Ictorum* scriberet, eum iam circa Annum 1704. *Hagam comitum* advenisse, & cum ill. *Bynckershoekio varios de re literaria sermones* miscuisse, credibile est.

suam ingenii venustatem, morum suavitatem, nec mediocrem verecundiae eruditionisque laudem obtinuit. Vehementer enim a vulgari quorundam illius ordinis ludimagistrorum consuetudine abhorruit, qui, circumacta lectionum quotidianarum velut rota, machinave, reliquum diei tempus, aut herbam Nicotianam adolendo, fumumque per fistulas vendendo, aut vernaculas quasdam Ephemerides legendo, aut aliena curando, inutiliter terunt; eruditae vero antiquitatis libros, & monumenta, optimosque illorum interpretes flocci non pendunt. Immo, tametsi in hac muneris parte abunde esset, quod ageret, sive docendo fideliter, sive adolescentes ad intelligendi & scribendi facultatem exercendo, tamen levis erat labor pro ipsius ingenii magnitudine & alacritate, multumque sibi adhuc otii superesse putans, vel antelucano aestatis, vel prolato in seram noctem brumae tempore, animum rerum cognoscendarum studio, multiplici lectione, prompta observationis assiduitate, tamquam sapientiae pabulo, nutritivum & oblectavit, quorum temporum fuit eius ad *Iobannem Hermannum Schminckium* de *Oaxe* fluvio *Epistola*, (1) non tanti quidem momenti, quanti eius postea doctrinarum, pectore reconditarum, divitiae ha-

(1) cuius excerpta ad *Vibium Sequestrem* p. 262. — 268. dedit *Francisc. Hesselius*.

habitae fuerunt, ad afferendam tamen populo de eius in Senatu literario sententiae dicundae iure opinionem idonea. Cuius ultra vulgus sapiendi cupiditatis ingenijque fructum cepit hunc, vt censéretur dignus, quo ill. *Bynckersboekius* familiariter vteretur, eique *Censuras* quasdam & *Defensiones Veterum ICTorum latinitatis* publice illustrandas commendaret, cuius etiam Viri egregii votis edita non multo post *Opusculorum Variorum de Latinitate ICTorum veterum* Sylloge noster cumulate satisfecit (m). Nec minori eum amoris & observantiae studio profecutus est *Jacobus Perizonius*, ille perveteris historiae vnicus & felicissimus instaurator, a quo, gravissime aegrotante, mortique proximo, tum, exemplo aliis imitando, Illustres Academiae *Leidensis* Curatores privatim percontati essent, ecquem sibi, dignitatis literarum causa, succedi ex animi sententia vellet, hanc duorum Candidatorum, *Petri Burmanni*, maioris, & *Caroli* nostri *Andreae Dukeri* optionem Maecenates accepisse, non tam ferunt, quam certo mihi auctore constat (n). Quamquam vero *Burmanno*, per quatuor propemodum lustra in nostris Academiae spatiis magna nominis & meritorum ce-

te.

(m) *Lugduni Batavorum*, 1711. 8.

(n) *Eloge de Mr. Jacques Perizonius*, in *Histqr. Critica Roipublicae Literariae* Tom. IX. p. 423.

lebritate elato, *Dukerus* noster illic cedere debuerat, tamen ab ampliffimis Academiae nostrae Curatoribus, honorificentissimo *Perizonii* praeiudicio verifimiliter motis, hanc concordiffimae suffragationis laudem abstulit, vt post *Burmanni* ex hac Academia discessum, in societatem literatiffimi *Arnoldi Drakenborchii* ascitus, simul scholis *Hieronymianis*, etsi *Drakenborchio* creationis gradu & loco recentior, praeesse iuberetur. Quam geminati Duumvirorum Academicorum honoris copulationem non ideo decretam esse existimaverim, quod aut solum *Drakenborchium*, aut solum *Dukerum*, vnus antea *Burmanni* susceptis laboribus parem esse potuisse negaverint Magistratus, (*Dukerum* enim *Burmanni* similem & aequalem sumferat valde idoneus hac in re iudex, *Perizonius*,) sed quod frigescentes aliquantum apud nos literas graecas, admoti *Dukeri* velut face, recalescere posse sapienter sibi persuadebant. Interim quantum spei & fiduciae in *Dukero* reposita *Perizonius*, id potiffimum documento fuit, quod moriens affectas suas in *Pomponium Melam* adnotationes ipsius tutelae mandaverat, petieratque, curaret, ne interciderent, aut quae deesse viderentur, arguta sedulitate sua adscriberet, & expleret. cui testatoris velut legi si *Dukerus* noster morem ante gerere non potuit, quam
cum

cum rude donatus *Ifalasteni* doctè otia retur, (o) mirandum non erat. Ne quid enim dicam de subortis, quae editionis voluntatem morabantur, impedimentis, continuo post (p) valde negotiosam in hac Academia *Historici & Rhetoris* provinciam, habita remotiori fortassis a vulgari intelligentiâ *Oratione*, de difficultatibus quibusdam interpretationis *Grammaticae Veterum Scriptorum Graecorum & Latinorum*, ingressus, tanta religione, animique contentione aptam explicatamque dedit, ut saepe ne tribuniciam quidem imbecillae valetudinis quasi intercessionem: *Veto*, moraretur. Etenim non paucum fuerunt, qui de diuturnitate eius vitae dubitarent, quod ad has literarum excubias summos quidem ingenii & sapientiae nervos, senectutis tamen iam adventantis, sexti videlicet & quadragesimi anni aetatem, corpusculumque superioribus laborum vigiliis fractum & debilitatum attulerat. Vel sic tamen minime laetabilem illam nonnullorum praesensionem divina nixus ope suaviter fefellit, sui que muneris officia per duodeviginti annos ita exsecutus & tuitus est,

(o) Haec quippe *Annotata ad Pomponium Melam*, Anno demum c10cccxxvi. *Ifalasteni* ad Cel. *Dorvilium* missa fuerunt, in *Miscellaneous Observationibus Criticis* edita, Vol. VII. Tom. III. p. 417. = 460. & Vol. VIII. Tom. I. p. 97. = 140. Cf. *Vriemot* in *Elogio Perizonii*, p. 639. *Athenar. Frisiacarum*.

(p) A. c10cccxxvi. ex A. D. V. Kalendas Junias.

est, ut alii ipso longe valentiores vel plura, vel maiora vix tentare potuissent viderentur. Neque suo anno, hoc est, huius Saeculi tertio & vicesimo publice decretam sibi Academiae nostrae rectionem suscipere gravatus est, eandem confecto vententis anni spatio successorii reddens, habita prudenti haud dubie, & accurata *De incertis in Historia veteri & Nova* Oratione. — Nolim, *Auditores*, levis animi Parasitaster, Gnathorum certe disciplinam numquam didici, Vobis videri, quod huic seu Orationi, seu Disputationi, quam numquam vidi, legiuae, nec quo abierit, ullis indagare potui vestigiis, prudentiae & accuratationis laudem tribuere audeo. Huius enim verisimilitudinem iudicii reliqua viri temperati, moderatique scripta, a ceruissatis Sophistarum buccis longissime aliena, praestare iubent. — — Postquam vero veteres illi, quibus identidem angebatur, dolores nephritici & ischiatici acerbius eum cruciarent, assiduamque doctrinae exquisitae & variae commentationem gravius interpellare coeperant, anno huius Saeculi quarto & tricesimo, qui aetatis eius quartus & sexagesimus erat, honestam ab Urbis & Academiae nostrae Magistratibus missionem petiit, qua non sine quodam stipendii, utinam non tenuiori, quam pro eius meritorum magnitudine, commodo, impetrata, votisque & bonis omnibus Collegarum

om.

omnium honoratus in vicinum nobis, sed auspici-
 orum iuris *Hollandici* oppidum *Isalaftenium* se
 contulit, vt procul ab hominum strepitu in otio,
 nec otiosus tamen, isthic viueret. Neque tamen
 haec ipsi constans, & perpetua fuit mansio, sed
 elapsis aliquot annis, collecta vaforum & librorum
 supelléctile, incertum, qua de causa, hanc ipsam
 cum alio iuris *Hollandici* oppido, *Viana* quippe,
 trans *Leccam* fluvium, duabusque circiter leucis a
Veteri nostra *Traiectu* sita, commutavit, quem se-
 cessum, magni *Nicolai Heinsii* exemplo, non tam
 ad commemorandum, quam ad habitandum stabilem
 sibi legisse sedem ideo mihi visus est, quod aedes
 ibi & hortum non conduxerat, sed emerat, vt nul-
 lius arbitrio obnoxius non modo omnes abstergeret
 fenestutis molestias, sed inter optimos quoque li-
 brorum stipatores mollem & iucundam efficeret fene-
 ctutem. Quorum etiam librorum perpetuo comitatu
 tamdiu constanter vsus est, donec oculorum sensus
 eum destituere inciperet, atque valetudo ingra-
 vescens fidissimos illos satellites & ministros liqui-
 dae voluptatis sectione publica in hac vrbe a se
 viuo abstrahi & vendi iuberet. (q) Ita libero
 qui-

(q) A. .cioroccl. teste librorum Indice, in cuius fronte haec no-
 tantes legebantur: *Catalogus librorum, quibus dum per aetatem &*

quidem ab omnibus curarum humanarum negotiis animo, non libero tamen ab vrgentis senectutis, grandiorisque aetatis incommodis corpore, in caelibatu suo, (nam quod fortunatum alii putant, vxorem is numquam habuit,) in solitudine, sola patientiae tranquillitate, rerum divinarum cogitatione, & recte factorum conscientia recreatus per biennium fortiter & moderate fortunam suam tulit, cum initio alterius & quinquagesimi huius Saeculi anni vnicam bonorum suorum heredem, sororis suae filiam, *Neubusio* cuidam, sacrorum in vico *Meyderico*, vrbi *Teutoburgensi* proximo, Antistiti nuptam, cuius videndae summo desiderio afficiebatur, ad se e Germanis evocaret. Haec itaque avunculo suo non concedens, vt ille sui videndi cupidior, quam ipsa eius esset, tempus aliquod cum eo libentissime positura *Vianam*, eius salutandi causa, haud cunctanter venerat. Accidit autem tum quodam die, vt noster, illa comite, in horto aedibus eius contiguo, scipione suo nixus, incurvus & reptans potius, quam ambulans, derepente in dextro corporis latere nervorum resolutione corriperetur, vnde nec ipse se movere, nec lingua, nisi difficulter voces articulatim edere poterat. Quo casu subito percul-

valetudinem licuit, vsus est *Carolus Andreas Dukerus*, *Histor. & Eloq. in Academ. Traiect. Profess. Emeritus. Trai. Rhen. 1750. 2.*

culsa eius confobrina avunculo suo suavit, ut praeconis voci subjectis, quas *Nianae* habebat, aedibus, ad lares suos, unde ipsa venerat, secum iter suscipere ne gravaretur, quo rerum ad valetudinem eius necessariorum solertior a cognatione coniunctis, quam, ut fieri solet, ab extraneis, cura haberi posset. Cui dicto libenter audiens noster, fellaeque vel curuli vel portatili impositus, item conducta nave adversis *Leccae* & *Rbeni* fluminum alveis vectus, tandem sub finem aestatis, illo, quem dixeram, anno, in vicum *Meydericum*, tribus circiter lapidibus a *Rheno-Duisburgo* remotum, ubi *Newhusus*, eius per affinitatem confobrinus, Euangelii praeconium faciebat, deferebatur. Sed quem optimum senem omni fide, opera, amore, & studio fovere, complectique statuerant proximi, eum, post perbreve duorum circiter mensium hospitium, a se discedentem, & de se sublatum luxerunt. DVKERVS enim noster levi febricula tactus alterum & octogesimo agens annum, laboribus & aetate fessus, vitae sancte & pie actae ipsi Nonis Novembribus (r) finem fecit, adeoque quam, DEO auspice, in Germania vitam acceperat, eidem solo, quam exhalaverat, animam,
DEO

(r) A. MDCCCLIIII.

DEO vero, beatoris vitae largitori, animum, perpetuo victurum, reddidit.

Quae cum ita sint, memorabile profecto videri possit, hunc nostrum, qui in consortione gloriosi laboris Academici amicissimum sibi Collegam *Drakenborchium* quatuordecim annis iuniorem, se vero corporis firmitudine & robore maiorem habuerat, eidem tamen quatuor annis diutius supervixisse.

En igitur omnia Vobis, *Auditores*, quae ad vitam DVKERI pertinent, narravi. Iam constituere potestis, an in his proprie quicquam magnopere sit, quod vestrum quemquam in eius admirationem rapere, aut quod non in alios quoscunque, etiam de vulgo, homines, cadere possit? Non, reor, diffitebimini, pleraque haec, similiae, pervagata, novitatisque expertia esse. Nasci enim, sensim paulatimque adolescere, bene vel male educari, hoc illudve genus vitae sequi, munerum, vel casu & gratia saepe nobis, vel sapientia mandatorum, honoribus fungi, matrimonium inire, liberos procreare, caelibes remanere, eleganter vel sordide domi aut foris vestitum esse, excelsa quem, vel iusta, vel humili statura esse, praeterea crassum pinguemue corpore rusticitatem an urbanitatem prae se ferre, tum aegrotare, cum valetudine in gratiam redire, senescere, grandes interdum natu repuerascere, &

tan-

tandem de vita migrare, omnium promiscue hominum, etiam baronum, & bardorum esse potest & solet: quandoquidem secundum illud *Cbremetis Terentiani*, quod omnes memoria tenetis, *homines sumus, nihilque humani a nobis alienum esse potest*. Verumtamen sublatis corporum exuviis aliud quiddam in hominibus eximiis quaerimus, quam natalium vel humilitatem, vel mediocritatem, vel splendorem, citoque transituram opum, divitiarum, grandiumque interdum titulorum vanitatem: immo sola ingenii animique dos est, quae viventibus antiquiorem inter aequales existimationis gradum & locum, mortuis vero famae & celebritatis perennitatem spondet atque vindicat. Quid igitur? Si ingenii vim spectemus, qua tandem eruditi hominis persona eminuisset nostrum censetis, *Auditores?* nulla alia, inquam, nisi **PHILOLOGI & GRAMMATICI**.

At vile hoc abiectumque multis, tremendum & odiosum aliis vulgo videtur nomen. Sunt sane, qui *Grammaticen*, hoc est, ut interpretor, *Criticen*, tamquam artem ab externa pulchritudine nudam, quae stus & lucri inanissimam, sterilem, siccamve, partim pro inscitia, partim pro inertia sua rideant, & exagitent. Alii, in quibus formularios cuiuscumque doctrinae cantores numerare liceat, istud male ominatum scientiae genus averfantur, timentque, ne

24 C. SAXI LAVDATIO C. A. DVKERI

promoto velut Critices ariete opinionum suarum fundamenta non mediocriter labefactata sensimque collapsa videant. Sed neutri profecto illius artium reginae frugiferam indolem & bonitatem norunt. Si enim forma ipsa, & tamquam facies probabilis Critici oculis cerneretur, quin eiusmodi simulacro mirabiles illius sapientiae amores excitari possint, nemo, ut reor, erit, qui ambigat. Quocirca generatim primo in depingenda boni Critici specie periculum faciam, tum eius ipsius studii consultissimum fuisse DVKERVM meum, quam brevissime poterò, ostendam. Veri nominis Grammaticus, sive Aristarchus, idem est, qui Dialecticus, & Judex, non istiusmodi proprie rerum, quae ex initiorum necessitate, velut clavis trabalibus, coguntur, (quamquam has quoque attingere potest, sicubi voluntas & occasio tulerit,) sed earum omnium, quas nec creare, nec mutare possumus, quae nostri non sunt arbitrii, quarum verisimiliter definiendarum ratio hinc a casu, longa consuetudine, aetatis vicissitudine, locorum, temporum, & hominum adiunctis, testiumque auctoritate & fide, illinc a linguae, oculorum, aurium, manuum sensu, concinnitatis varietate, dignitate, & venustate, immo corruptela quoque, pravi confectatrice, infinita denique veri, boni, pulcri, simulacrorum observatione pendet.

Non

Non enim vt cochlea terrigena, & herbigrada in angusta quadam domuncula abditus latet, sed quaquaversum, sine populi, aetatis, argumentive discrimine egreditur. Mox est in epicis *Homeri* carminibus, mox in tragicis, comicisque *Euripidis*, vel *Aristophanis* fabulis hospitatur, mox ad rerum auctores *Tbucydidem*, *Xenophontem*, *Polybium*, *Diodorum Siculum*, *Plutarchum*, aliosque similes, animum appellit, mox in consilium vocat ferioris aevi Grammaticos: a Graecis ad Latinos decurrit, modo optimae latinitatis magistros, *Terentium*, *Caesarem*, *Ciceronem* ad dicendi scribendique vsum exemplaria sibi proponit, modo apud *Gellium*, *Apuleium*, *Martianum Capellam*, & alios inclinantis ad deformitatem iudicii Scriptores, habitat, modo *Virgilium*, *Horatium*ve in deliciis habet, neque tamen *Statium*, vel *Claudianum*, vel *Ausonium* aliquem repudiat, a *Livio* ad *Ammianum Marcellinum*, aliosque interdum ieiunos posterioris aevi Annales & Commentarios delabitur, neque *Academicarum*, quas pontificia medii aevi, si Diis placet, sapientia, invenit, *quatuor Facultatum* claustra & cancellos perfringere extimescit. Non enim humanis, sive, vt plebs literaria loqui solet, profanis se duntaxat Scriptoribus oblectat, sed divinos quoque appetere,

secum habere, & tractare debet: Legum & Ictorum veterum superstites tabulas in consilium vocat: priscos Medicorum libros ad suum pertinere iudicium existimat; nec Philosophorum scripta intacta relinquit, sed Scholasticorum squalorem interpretum & sordes ipsis admittit: a libris vicissim ad monumenta transit, quicquid in aere, lapidibus, & gemmis fictum, pictum, scriptum, sculptum, scalptumue erudita ad posteros dimisit antiquitas, praeterea quicquid alicubi praeclare & sublime, mediocriter, tenuiter, emendate an vitiose, vere, an falso, apte, inepteque dictum traditumue fuerit, id omne suo in regno, suo in peculio esse sibi persuadet Grammaticus. Quid plura? Longum enim est persequi omnia. Tam incredibile certe ingeniorum humanorum acies, vis, & perspicacia esse potest, quanta librorum omnis aevi, & monumentorum copia, in quibus vel recognoscendis, vel castigandis, apteque illustrandis maiori lectionis, iudiciiue solertia & divinandi sensu interno opus est, quam servum vulgus, Saeculi duntaxat opinionibus regi solitum, existimat. Immo qui philosophiam perfectae Grammaticae tenet, praeter rationem recte & emendate loquendi scribendique, satis alioquin late patentem, prope omnium maximarum artium scientiam amplectitur,

fa-

facem vbique praefert, caliginem dispellit, a luculentis obscura, a certis ambigua, a veris & antiquis spuria, a genuinis male insitiva distinguit, & explanat, verba perperam disturbata in locum suum revocat, versus poëtarum carminibus prave illatos confodit, vulgo creditas res, temereque arreptas ab aliis merces, tamquam fastidiosus aedilis, reiicit. Hinc quaedam ipsi principatus appetitio inest, non, vt superbe, regie, & libidinose imperet, sed quod nihil sibi ab aliis obtrudi patitur, neminique parere vult, nisi veri, sani, recti, & pulcri cubilia singulari quadam mentis sagacitate indaganti, & monstranti.

Uti vero simulato ceteroquin Grammatices & literarum obtrectatori, *Senecae*, (s) hactenus assentio, *Dialecticam* in duas dividendi partes, *in verba*, vt ait, & *significationes*, id est, *in res*, *quae dicuntur*, & *vocabula*, *quibus dicuntur*, ita Grammatices materiam vel oratione & verbis, vel sententiis constare Vos omnes, puto, dabit *Auditores*. Duplicis vero illius boni aequae indissolubile vinculum est, atque in ipso homine *rationis & linguae*. Quam vtramque vel *orationis* vel *sententiarum* critice si quis mente & exercitatione affectus fuerit, quid est, quod ille non divinitus efficere,

om.

(s) *Epist. LXXXIX.*

omnibusque absolvere numeris possit? In coelum propterea laudibus efferuntur *Scaligeri*, *Casauboni*, *Salmasii*, *Lipsii*, *Vossii*, *Grotii*; eorundemque nuper vel in *Batavis*, *Anglo-Britannis*, *Germanis*ve similes. Attamen non omnibus hominum eruditorum ingenii tam beatam in omnes partes cernendi, sagacissimeque odorandi facultatem in seuit natura, ut ad utrumque & orationis, seu graecae seu latinae, & sententiarum genus illi parem ubique sensum olfaciendi, attentissimamque cogitationis solertiam afferant. Aliis paene non quaerentibus sine mora, sponte, & vltro se offert necessaria lectio, & emendatio, seu permixta divellendo, seu dissociata copulando, seu manuum veritatem mirabili facilitate imitando, seu alias verborum locutionumve similitudines sonorum & scripturae causis repente metiendo; dum interea rerum aliquantisper incuriosi evadunt, & reperiuntur. Alii contra res interdum cum rebus, tempora cum temporibus, argumenta cum argumentis, mores cum moribus, libros cum monumentis, & vicissim, contendunt, in oratione vero & verbis, librariorum subinde & artificum aberrationes aut non possunt, noluntve pro instituto suo, aut non magni semper interesse putant tollere. Habent quidem arctissimam inter se necessitudinem res & verba, neque emendatrix verborum

rum locutionumque facultas sine eruditione, hoc est, multiplici rerum, seu historicarum, seu poëticarum, seu rhetoricarum, seu archaeologicarum sciëntia esse potest: neutri tamen alterutros, si in alterutra iudicandi forma plus possunt, pollentue, quam altera, orationis quippe constituendae arbitri rerum explanatores ignobili & barbaro *Compilatorum* nomine deformare, aut hi vicissim illos, tamquam nudos verborum aucupes, vel homines, aetatem in syllabarum apicibus conterentes, adunco suspendere debent naso. Saepius propterea dolui, fuisse, qui *Fulvium* aliquem *Vrsinum*, *Onuphrium Panvinium*, *Steph. Vinandum Pigbium*, *Johannem Meursium*, *Antonium Pagium*, *Ezechielem Spanhemium*, *Jo. Albertum Fabricium*, alios eiusmodi praestantissimos homines vix in Criticis haberi posse magno supercilio negarent. Etsi enim hanc coniecturalem divinationis artem critica sua, & velut Tenedia securi verbis immitenda, aut solennibus illis: *Lege meo periculo, corrige, apage vulgatam lectionem*, similibusque edictorum formulis inculcandis, non vbique ostentarint, tamen profecto cordis loco peponem non habuerunt, nec tam obesae naris fuerunt, vt, si quid ardui, pravi, vel adulterini in sententiis, & verborum cohaerentia iuncturae inesset, suis inda-
gare

30 C. SAXI LAVDATIO C. A. DVKERI.

gare & patefacere vestigiis non possent. — Verum haec nunc consulto missa facio, ne crabrones irritare videar.

Id mihi satis erit, persuadere Vobis, *Auditores*, DVKERVM nostrum ad vtramque humanitatis disciplinam, quae verborum pariter atque rerum scientia, librisque adeo & monumentis veteribus intelligendis maxime continetur, studium suum convertisse. Primum vniverse, quid in graecis latinisque potuerit literis, locuples testis est *Thucyides*, (i) & *Florus*, (u) vterque scriptor, licet sano narrationis colore valde dissimilis, limatulo tamen, polituloque eius iudicio recognitus, & illustratus: argumento sint breves, sed elegantes eius ad *Syllogen Opusculorum de Latinitate veterum ICtorum* animadversiones: certissime approbant luculentae eius ad *Livium Drakenborchianum* (w) observationes: fidem faciant eiusdem ad nonnullas *Aristophanis* fabulas, Comicique praefertim veterem *Grammaticum* adnotationes: (x) non prohibeat credere eius, vt dicitur, *Specimen*
No.

(i) *Amstelædami*. 1731. fol.

(u) *Lugd. Batav.* 1722. iterumque 1744. 4.

(w) *Lugd. Bat.* 1738. seq. 4.

(x) sive *Notae* in *Aristophanis Plutum, Nubes, Ranas, & Equites*, in *Aristophane Bergleriano-Burmanni minoris*, *Lugd. Bat.* 1760. 4. Tom. II. p. 1187. = 1218.

Notarum ad Servium (y) testificentur denique ipsius ad *Suetonium*, (z) *Theophilum Fabroti* latinum, (z*) & *Petiti Leges Atticas*, (aa) item *Perizonii Originis Babylonicas & Aegyptiacas* (bb) Scholia, quae omnia subtilius & minutatim commemorare mea dicentis persona, audientium observantia, & fastidii metus vetat. Deinde quam parem invenire possum orationem eius ingenio, quo utriusque sermonis auctoribus scienter profuit? Etenim quid prius in nostro laudem, quid novissime praedicem, haereo, religiosam membranarum consultationem eius, an suspicandi & coniciendi opportunitatem? mensorum indagacionem, & perspicentiam, an vulnerum, quae locis scriptorum inflicta erant, aptam sanacionem, emendationisque verecundiam? priuae

cui-

(y) & quidem ad *Eslogas*, & L. I. *Aeneidos*, in *Virgillii Burmanniani*, *Amstel.* 1746. 4. Tomo I. post Praefacionem p. LXXVII. = LXXXII.

(z) Inprimis ad Flaviorum vitas in editione *Oudendorpiana*, *Lugd. Bat.* 1751. 8.

(z*) quae novissimus Theophili interpres *Reitatus*, sub nomine Editoris *Leidenfis* ceteris virotum doctorum observationibus inseruit. vid. & infra (oo).

(aa) vel potius ad *Antonii Martae Salvoii Animadversiones* in *Sax. Petiti Leges Atticas* censurae eius in *Miscellaneis* primum *Observationibus* sub compendariis literarum notis DC vulgatae, Vol. III. Tom. III. p. 449. = 444. Vol. IV. Tom. I. p. 149. = 152. & Tom. II. p. 251. = 261. Vol. V. Tom. II. p. 173. = 191. tum in *Wesselingiana Petiti* editione, *Lugd. Bat.* 1743. fol. *Saxo-vulcanis* subjunctae.

(bb) *Trai. Rhen.* 1736. 8.

cuique dictionis sensum, quo ante imbutus erat, quam ad recensendum accederet, an eius, quam cum aliis similiter, dissimiliterve loquentibus contraxerat, familiaritatem, luxuriantisque exemplorum copiae vitationem? In congerenda certe lectionis varietate non incautus, neque tamen superstitiosus erat, (cc) ut quicquid rudis artium Monachus aliquis, praeferim ferioris aevi codicum Antiquarius calamo effusierat, de tripode dictum arbitraretur, aut sequendum duceret. Tametsi enim primaria recensendos membranarum fide regatur, tamen recentioribus, si antiquiores adsint libri scripti, nonnisi parce atque timide utendum esse integra iudicii quasi valetudo iubet. neque *vulgatis* editionum *lectionibus*, quas multi inepte crepant, & defendunt, tam feruenter obsequabatur, ut earum scripturam, si opus & necesse esset, e possessione quasi caduca non exturbaret, & loco moveret (dd). In exercenda igitur orationis critica, quam *elementariam* proprie & *literatam* (ee) nuncupare ausim, ita versabatur, ut

mi-

(cc) Puerilis & ridenda fuit accusatio *Schroederi*, in Praefationis sine ad *Senecam* Tragicum, eum barbaramente *Varilectionarium Tbucydeum* vocantis.

(dd) consilii a *Graevio* in Praefatione ad Ciceronis *Officia* p. 56. 67. Praef. ed. *Fabricii* dati sanitatem re & exemplo suo approbans.

(ee) angustiori sensu *ῥημασιων*, vel *Methodicen*, *Quintilliani* exemplo I. *Inst.* IX. 1.

minimé securus aliorum placita répeteret, neque tamen audax & temerarius esset, vel meris divinationibus suis plus, quam librorum iusta aetate scriptorum auctoritati, fidens, corrigendi innovandique prurigne tangeretur, nec quid dicere quis veterum & scribere *potuerit*, sed quid dixerit, scripseritue, accurata circumspectione definirét.

Sic in humanitatis rerum, artiumque & doctrinarum causis, quam eximia fuerit eius prudentia, breviter consideremus. Quantumvis enim praesto esset diffusae lectionis copia, vel a mira, quam habebat, memoriae facultate, vel a divite aduersariorum penu ipsi suggesta, tamen antiquitatis, historiae, & philosophiae locos non vndecunque verbosus corrasit, qui aequè bene apud alium quemcunque, quam hunc, quem interpretandum & illustrandum sibi sumserat, legi poterant, sed varietati sententiarum iudicandi severitatem iungebat, ne vanis digressionum simulacris sibi placere, lectorem vero inutiliter fatigare, aut eludere videretur. Vbicunque vero vel temporum error, vel testium discordia, vel superiorum incuria interpretum tenebras induxerat, latius discussis rationibus plura conglutinauit, quibus argumenti cuiusque nubes dispelli poterant. Quot Fastrorum, Magistratuum, rerumque Romanarum memoriae capitibus lucem affude-

Ceterum quae duplex orationis & sententiarum intelligentiae dos Critici personam commendat, eadem quoque legitimum inprimis Rhetorem a dicentium, verius differentium hodie, vulgo longissime segregat. DVKERVS noſter vtriusque boni particeps ad inveniendum quidem habilis, aptusque, & in eloquendo facilis, incorrupte latinus, & nervofus reperiebatur: verum exterior & theatralis eloquentia corporis, Graecorum ore ὑπόκρισις, qua tamen paene ſola latine infantiffimi quique non raro ſcriptores hodie & iudices omnem vim & facultatem oratoriam aeſtimant, ea ſane ipſi deſuiſſe videtur. Etenim vox eius minime canora & flexibilis, ſed ſummiffa & tenuis,

penes *P. Burmannum*, minorem, (v. *Catal. Cod. MSS.* Quarto. n. 2449) Eodem pacto *Pomponius Mela*, cum ſcholiis *Olivarii* & caſtigationibus *Hermolai Barbari*, *Bafil.* 1536. collatus cum vetuſtis editionibus, (*Catal. Dukeri* Octavo. n. 382. 384) *Aeliani Var. Hiſtoriae*, vbi in margine multa annotata erant (*Cat. Dukeri* Octavo. n. 456.) *Kippingii Antiquitates Romanae*, *Franeqv.* 1684. cum annot. MSS. (*Ibidem.* octavo. n. 1068.) *Franc. Hotomanni Index Legum Romanarum* *Bafil.* 1558. cum MSS. (*Ibidem* Octavo. n. 1075.) *Homerici Centones. Probae Falconiae Cento Virgilianus* cum codice *Duisburgenſi* collatus, (*Ibidem*, *Duodecimo*, n. 193.) *Virgiliſi Georgica*, cum MS. collata, (*Ibidem* *Duodecimo*. n. 206.) *Vigerius de Idiotiſmis linguae Graecae cum annot.* MSS. (*Ibidem* *Duodecimo* n. 304.) ad *P. Burmannum*, minorem, indicio *Catalogi eius Codicum Manuſcriptorum* p. 46. n. 3822. p. 42. n. 3726. p. 60. n. 4167. p. 61. n. 4180. p. 63. n. 700. p. 65. n. 744. & p. 68. n. 818. pervenerunt, ab eoque ad alios, nescio quos.

nus, lingua blaesa, vultus, status, gestusque moderatio, gravis quidem & decora, sed non omnium venustissima, quaeve mulierculis placere possit, ipsum multis vulgo sic decantatis, blandisue ad clepsydram declamatoribus palmam dare iussit.

Satis iam dictum arbitror de DVKERI nostri ingenio, & eruditione; reliquum est, vt animi eius, & morum imaginem reddam.

Morosus & ingratus erga Grammaticos, a quibus tot eloquentiae suae bona acceperat, fuit *Seneca*, cum liberalium artium consecrationem molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facere, & *idea non discentes necessaria, quia supervacua didicerint*, (II) criminaretur. Sint sane, fuerintque & nunc & olim in Grammaticis, sive Criticis, nonnulli, qui in mustaceo laureolam quaerent, omnis censurae impatientes, rixosi, & feroces essent, num propterea inhumanitas quorundam & feritas, artis divinae, aut vniversi Criticorum nominis dignitati infamiae labem aspergere possit? Aequo profecto minus, atque Theologiae & Theologis, impiorum, fanaticorumue hominum, Jurisprudentiae aut Iurisconsultis, rabularum, aut circulatorum, vel arti Medicae, Medicisue, Empiricorum stupor invidiam faciat. Immo vero gratulor bonis literis,

nul-

(II) *Epist.* LXXXVIII.

nullo tempore defuisse Criticos, qui artium humanitatem vitae & morum urbanitate elegantiaque imitando exprimerent. Si qui alii, DVKERVS certe honeste loci illius, qui e maxime distantis & contrariis conflatur, non modo testis, sed etiam interpres fide classicus, quamquam faciem eius in tabula depictam cum videas, tam insignis pretii, tantarumque animi dotium hominem fuisse vix credideris. Vnde statim discere liceat, non omni exceptione maiores esse animi coniecturas, quas toties hodie iactatae, nostrisque demum temporibus, vt falso sibi persuadent, cognitae, Physiognomiae patroni de oris lineamentorum conformatione facere conantur. Faciei quidem eius status & conditio nihil admodum excelsi, nihil magni promittit: oculi paulatim compressi, non admodum vegeti, sed torpentes, & languidi hominem lusciosum, ingeniumque sublimitatis & acuminis expers indicare videntur: in iisdem tamen emicat aliquid scintillulae, quasi argute meditantis motum, notamque praeferentis. Si quae inest in vultu gracilitas, tristiorque seueritas, eam haud dubie vel exilior ipsius corporis habitus, vel dorso, quod saepius ipsi dolebat, angores intulerant, quem morbum, a renibus profectum, sedendi olim, intensiusque cogitandi pertinacia sibi contraxerat. Vnde postea non tam sedens, quam stans, in literas in-

cu-

cubuit, horisque pomeridianis ambulando illius infirmitatis molestiam depellere studuit. Ex tota vero imaginis circumscriptione nescio quae securitas animi cum vacuitate aegritudinis, & serenitas, recti conscientiae, aequabilitatis, mansuetudinis, & tranquillitatis nuncia perlucet. Nemo certe lenior & placibilior DVKERO nostro fuit. Si quae paulo asperius dicta ipsi vel in *Laurentium Begerum*, (mm) vel *Johannem Gasparem Schroederum*, ludimagistrum primo Traiectinum, postea Delfensem, (nn) & tandem in historiae discendae garrulum dissuasorem exciderant, ea potius sanum *Graevii de Floro* iudicium identidem cavillantis indignationi, vel iustis bonae famae vindictis, vel literarum in hac Academia regundarum studiis condonanda, quam vlli maledicentiae vitio tribuenda esse arbitror. Reperiebatur enim tum, (vtinam non alius similis, alio tempore!) qui scholis historicis insidiaturus hanc opinionem, *Historia non valde opus esse*, neque *Historiam in Academiis disci posse*, inter Academi-

COS

(mm) in Praefatione ad *Florum* * 8. = ** 2. & ad plura *Flori* loca, in quibus eum iudicii corruptelae convicit.

(nn) in Praefatione ad *Thucydidem* ***. it. ***** 2. = ** ** Non vero *Dukerus* eum prior laeserat, sed atrociter laesus in Praefatione ad *Senecam Tragicum* *** 4. & in *Vindictis Notarum ad Senecae Tragoedias* p. 8. 9. a se iniuriam depulerat.

cos clanculum diffeminaret. Cuiusmodi vox si *Vlurbis*, aut *Osco* quodam in oppido audita fuisset, in neutram partem yakuisset, contemtuque negligi potuisset; sed in nostra vrbe, elegantissimis hominibus affluenti, & in hac Academia, quae semper Historiae, & bonarum literarum schola est habita, eiusmodi ad populum phaleras, & fabellas, quibus credula, & ad ignaviam prona interdum iuventus inescari posset; ore effundi, id mitissimi ingenii viribilem movit, difficileque ipsi fuit satiram non scribere, vel saltem scribentibus irrisionis quosdam locos non suggerere. Dignus autem erat ille censor vitiq̄ creatus, qui poenas intelligentibus daret, cuiusque peccata, in veteris historiae literis passim commissa, exploderentur. (oo). Ceteroquin nemo aequalium fuit, quem non debita humanitatis observantia *Dukerus* prosequeretur. Ut taceam *Isaacum Casaubonum*, *Jo. Frider. Gronovium*, *Nicolaum Heinsium*, *Io. Georg. Graevium*, *Iac. Peri-*

(oo) Infucata vero & occulta forsitan huius ipsius erga *Dukerum* malignolentia in causa fuit, quare Animadversiones ad *Douiatianam Theophili*, a *Fabro* latine redditi, editionem *Parisis* 1681. 12. quae extant post *Admonitionem ad Lectorem in Justiniani Institutionum*, & *Theophili Paraphraseos versione Latina*, *Lugd. Batav.* 1733. 8. non *Dukero* nostro, sed *Schultingio* tribueret. vid. omnino Praefatio *G. Q. Retzili* ad *Theophilum*, §. 18. p. XVI.

zonim, & alios, quos, patrum aetas tulit, ipseque omnes venerabatur, suae potissimum aetatis *Petrum Burmannum*, maiorem, *Bentleium*, *Hemsterbusium*, (pp) *Heur. Brencmannum* (qq) *Drakenborchium* magni faciebat: summa teneritudine animi Collegas, (rr) cives, familiares, discipulos complectebatur: ipse non de se grandiloquus, nec vanae gloriationis affectator, nec arrogans alios praese contemnebat, nimis interdum verecunde, & tenuiter de se iudicabat: adhaec semper hilari animo & prompto ad iocandum, facetusque sine aculeo & scurrilitate sales amabat: (ss) immo sine temporis dilatione officiosus erat, comis, benignus, facilis absque simulato quodam animi recessu, aut commodi

(pp) non vno argumento Praefationis *Thucydidae*, vbi *Hemsterbusianam* observationem laudavit *****.

(qq) v. eum ad Flori Prooemium L. I. §. 3.

(rr) Eumque vicissim unicuique Collegarum egregie carum fuisse Actorum nostrorum tabulae loquuntur.

(ss) Nemo certius & verius indolem suam describere poterat, quam ipse *Dukerus* fecit in Praefatione ad *Thucydidem*, * * * * * ita de se iam A. 1721. scribens: *Mibi vitae morumque meorum ratio satis constat Non multa minus quadraginta annos in diversis huius Belgii locis vixi, & cum multis omnium ordinum hominibus versatus sum. Hi fortassis hilariores nonnullos sermones meos, & innoxios locos audiverunt; qui impium ullum aut nequam factum dictumve meum se vidisse, vel audivisse, aut dolos ac fraudes meas experitum esse dicturus sit, futurum puto, nisi qui mentiri volet, neminem.*

modi aviditate: denique laudis quidem studio tenebatur, sed ab invidiae, iracundiae & vindictae, quae omnia ferarum & belvarum vitia esse iure arbitrabatur, (ii) libidine abhorruit. Praeterea cum caelebs esset, diceretis, *Auditores*, eum puerorum, adolescentumque ingenuorum ad se aditus, & sermones submoleste, & fastidiosius laturum fuisse. Immo vero cum iisdem, praesertim discipulis suis, ut olim *Socrates*, utiliter confabulabatur, honeste iocabatur, si quos erecti ingenii, & ultra vulgus sapere ausuros offenderat tirones, eosdem ad legendos veteres, scribendumque, hortabatur, & impellebat, adeo, ut ipsi iuvenes hunc liberaliter severum senem aequalibus suis in familiaritate anteponeere viderentur.

Quod reliquum est, nam ne hoc quidem omiserim, in Croesorum profecto numero & censu haberi non poterat. Ipse hunc maxime divitiis affluere existimavit, qui divitiis minime indigebat, divitiarumque virtutem primam, *quod necesse est*, proximam, *quod satis est*, habere putavit.

Dubitatisne nunc, *Auditores*, talem virum mox
in-

(ii) Qui ita animo affecti sunt, eos *Socrates* imperio teneri ait, in Praefatione ad *Thucydidem*, loco iam laudato.

Integritate ultra non minus, quam *eruditione conspicuum*, (vv) mox *integerrimum*, (wv) mox *bonorum optimum*, (xx) mox *optimum senem*, (yy) concordibus aequalium suffragiis dici meruisse, mox *integritatem eius, fidem, sapientiam, atque admirabilem doctrinam* (zz) alicubi summo iure & ex vero laudatam fuisse?

Equis sigillatim quoque *Vestrum* est, o generosi huius *Academiae cives!* quotquot habetis incoctum pectus honesto, patriae olim, & sacri Christianorum cultus vel gubernatores, vel defensores, quem non movere debeat excellentis huius hominis non ad intuentium modo, sed ad imitandum quoque proposita imago? Scio equidem non omnibus vel a natura, vel fortuna istud datum esse boni, ut Critici nomen, dignitatemque assequantur, sed idem tamen ego contendere aulam, maximo laborandum esse

scilicet in ista Academia, ut quilibet, qui in ea fuerit, ista laude non careat.

(vv) in *Abis Eruditor. Lipsensibus*, A. 1723. p. 449.

(wv) a Celeb. patre Oosterdyckio, in *Oratione funebri in obitum A. Drakenborchii*, p. 41.

(xx) a spectatae fidei auctore A. Drakenborchio, in Praefatione ad *Livium*, Tom. VII. p. LXX.

(yy) a Franc. Oudendorpio V. C. in Praefatione ad *Svesonium*.

** A1

(zz) in *Henr. Cannegieteri Epistola ad Dukerum*, *Rescriptis Boxbornio praemissa*.

studio, ne vbubi apud Vos Philologiae desiderium sit, sine qua liberalissima animadversio in reliquis cuiuscunque ordinis & formulae doctrinis nihil praeclarum, nihil singulare potest existere. Vestras igitur obdurate aures ad illas Sirenium, levitatis & desidia patronarum, suamque potius, quam vestram vtilitatem quaerentium, cantus, quibus mox scholae graecae latinaeque pumice aridiores infamantur, mox historiae vniversitas, vt innavigabilis Oceanus, subdole dissuadetur, mox eloquentiae dotes, vt verborum & flosculorum aucupia, imperitissime despiciuntur. Immo aliud praestantissimi olim Rhetoris (aaa) gravissime dictum vestras circumsonet aures, quod postis me crebris vsurpare sermonibus, *Grammatices amorem & vsus lectionis non scholarum temporibus, sed vitae spatio terminari*, meminertisque simul velim, nullam artium scientiam sui contemtionem certius, & acrius per totum vitae cursum vlcisci & vindicare, quam literas. Intelligere mihi videor ex vultu vestro, & assensione, *Committiones Suavisissimi*, igniculis huius sapientiae Vobis incalescere animos. nec immerito. Vestra enim causa a Magistratibus nostris omnia parantur subsidia, quot
quot

(aaa) *Quintilian, l. Instit. Orat. VIII. 12.*

quot sensum veri & pulcri adiuuare & nutrire possunt, diligentissime scilicet providentibus, ne vllò in artium & doctrinarum genere adminicula vobis defint.

Etenim haec profecto splendidissimi ordinis vestri, **CONSULES & SENATORES** Amplissimi, laus, & propensio animi in literarum scientiam inde ab Academiae nostrae originibus fuit, vt nullis sumtibus, nullis vigiliis, curaeve parceret, quin, vt haec bonae mentis palaestra aliis similibus vel par esset, vel praestaret, liberaliter efficeretur. Ex quo munificentiae tamquam fonte manarunt tot mansurae celebritatis ornamenta, tot ingeniosi doctrinarum auctores, tam praeclara incorruptae eruditionis exempla, in quibus *Vestrum*, etsi non pari honoris gradu, tamen institutionis, & praeceptorum necessitudine, dignitateque, *Vestrum*, inquam, **DVKERUM**, a me coram Vobis cognitoribus, hoc clepsydrae spatio laudatum, quin lubenter numerare velitis, neutiquam dubitare licet. Neque etiam nunc *Vestrae* erga Academiam, & Academicos doctores benivolentiae, cuius ipse testis sum, ardor & studium refrixit. *Vestra* certe auctoritate, & praesidio sussultus, per septem nunc, & quod excurrit, lustra bonas literas in hac ingenuarum artium officina docui: *Vestra* etiam inusitata

arbitrii gratia mihi contigit, vt superiori, qui nunc effluxit, anno, Academiae rectionem, antiquioris loci praerogativa forte ad me tertium reversam, administrandi non interruptam haberem facultatem. eam vero cum proliza grati animi, quem liquido antestor, pietate *Vobis* reddam, istud *Vobis* etiam atque etiam persuadeatis velim, vti a me semper cautum esse memini, sic in posterum summo cautum iri opere, ne aliis, sive integritate beneficiorum memoris animi, sive idonea veri & recti finium observantia, sive candida legum obsequii fide, literarumque tuendarum religionae me cessisse, aut cedere vnquam voluisse existimari possit. Interea quoniam hac mihi muneris provincia exemplo decedenti, succedere iustitiam Clarissimum *Bondam*, eum ipsum, paulo ante per *Duumviros* Amplissimos nobis in conclavi Senatus nunciatum, Academiae Rectorem publice & solemniter renuncio. — — Adesdum itaque, recens create, iterumque mihi, non sine exemplo, suffecte Rector Magnifice, hanc magisterii sellam a me vacuefactam occupa: — — eandemque fac ita teneas, vt proximus hic annus tua cum privata voluptate, multiplicique commodorum fructu eat, & circumvolvatur feliciter! — —

TV vero suppliciter adorandum DEI Numen nobis omnibus volens propitiumque adsis precor. Rempubicam intestinis motibus distractam lacera- tamque stabili reparatione temporum, mansuris- que in vestigio suo allevationis fundamentis fisti & corroborari iube! Tuere illustrissimos Patriae no- strae OPTIMATES! Salvum sospitemque praesta Serenissimum PRINCIPEM ARAUSIACO-NAS- SAVIUM, *hereditarium* septemplicis Bataviae ter- ra & mari PRAETOREM, vna cum REGIA ip- sius CONIUGE, & vniversa celsissimae domus SOBOLE! Omnibus consiliorum, concordiae, opum, pacisque opportunitatibus vrbis nostrae MA- GISTRATVS bea! ipsam Metropolin & Academiam refove, nec patere, vt alterutra vel malivolorum ho- minum iniquitate, vel fortunae malo quicquam de- trimenti capiat! Ita speramus, ita vovemus, ita non adumbratam, sed solidam expressamque felici- tatis vsuram nanciscemur, & laetabimur.

Quo recitato precationis carmine, *Auditores* val- de honorandi, quantumvis proprie non dicamus ho- die, tamen multorum aliorum more, & exemplo, in- veteratam & solennem illam *Vobis* occentare liceat cantilenam:

D I X I.

